



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Via Veritatis Ad Vitam Sev Exercitia Spiritvalia

Haineuve, Julien

Antverpiae, 1652

Secvndo Die. De inclinationibus naturalibus, vnde promana[n]t
imperfectiones & peccata, quæ à fine nostro nos abducunt.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60125](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60125)

S E C V N D V S D I E S,

De propensionibus naturalibus,
vnde promanant imperfe-
ctiones, & peccata, quæ à Fine
nostro nos abducunt.

Q V A R T A V E R I T A S.

Vt à gratia ducimur ad Finem nostrum, sic
à naturâ corruptâ inde abducimur. Ma-
lum omne à nobis ipsis est; suspectus ita-
que esse, & caueri debet appetitus noster,
qui nos perdet, nisi illum perdamus.

*Perditio tua ex te Israel, tantummodò
in me auxilium tuum. Osee 13.*

M E D I T A T I O

De quarta Veritate.

I. P V N C T V M.

Declaratio eiusdem.

C Vm ad hoc Exercitia solùm instituan-
tur, vt perficiamus nos, & perfectio no-
stra in eo consistat, vt rectâ progrediamur
assequamurque finem nostrum, per ea me-
dia, quæ in nostra conditione nobis prom-
pta ac parata sunt: primum, quod nobis in-
eumbit, postquam nouimus finem, quem se-
ctari debemus, est, vt agnoscamus, nos eum

non uti par erat confectatos, nos ab eo plurimum aberrasse; & quid tandem illud sit præcipuè, quod in errorem & de via nos induxit, ut remedium adhibeatur. Si enim ad formæ in subiectam materiam, introductionem, necesse sit, illam materiam carere eâ formâ, cum priuatio ex principijs physicis, vnum sit: etiam necesse erit (ut restituamur in eum statû, in quo nos esse oporteret) agnoscere, non in eo non esse, & ad acquirêdum gradum perfectionis quo caremus, scire, nos illo carere. Atque hæc cognitio principium est gratiæ, & prima ad nos reformandos, atque ad statum meliorem reuocandos, dispositio.

Huc nos ducit quarta Veritas quæ efficit ut, generatim agnoscamus, vitij aliquid & mali nobis inesse, quoddà recto itinere deuiauerimus, aberrauerimusque à fine nostro aut saltem, simus ita comparati, ut possimus aberrare, ac ruere in perniciem, nisi nobis attendamus; omne malum esse à (a) nobis & particulatim eò nos rapi à perperâ cupiditate & propensione naturæ, quæ idcirco suspecta esse debeat; ordiendum esse ab hac sui diffidentia, si quis certò pertingere velit ad finem suum, quandoquidem aliàs fineremus nos abripi ab his naturæ moribus qui antehac à fine nos auerterunt, & impo-

sterunt

(a) Erravi, sicut ovis quæ pergit. Psal. 118.

Vnusquisque in via sua errauerunt II. 47.

Omnes nos quasi oves errauimus. Id. 53.

sterum auertent, perdent que nos, nisi prius illos perdamus.

Attentè igitur & per otium considera, quotquot scelera indies admittimus, quotquot cogitationes, affectus, verba & opera inordinata, quotquot desideria, timores, gaudia, tristitiæ, & aliæ immoderatæ perturbationes fiunt in vita tua, quotquot sinistrae intentiones, quotquot ambitiones, quotquot desidiæ: totidem esse errores euagationesq; à fine tuo; totidem esse præcipitia, periculaq; te perdendi; vnde verè hæc, nisi à teipso, à natura tua in malum prona quam componere non curas?

Ne accuses hic creaturas, non dicas, mundi vitio hæc accidere, neque culpam in (a) Dæmonem conijcias, & caue præcipuè ne aduersus diuinam prouidentiam obmurmeres, aut deesse gratiarum auxilia conqueraris: satis illæ affluerunt, vt etiam in conditione tuâ sanctus euaderes; dimidium earum gratiarum suffecisset regnis integris conuertendis; *perditio tua ex te, mi homo, nihil tibi noceret, ni velles; totus Infernus officere tibi non posset, absque te, & tu solus esse tibi*

C 4

(a) Non dixeris, per Deum abest: quæ enim odit, nec feceris. Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui. Adiecit mādāta sua; si volueris mandata seruire, conseruabunt te. Apposuit tibi aquam & ignem, ad quod volueris porrigere manum tuam &c. Eccl. 15. Noli facere mala, & non te apprehendēt. Discede ab iniquo, & deficient.

tibi potes & Dæmon & Infernus. Intra nos malum nostrum est ; sed neque etiam consistit in primis naturæ motibus, qui non sunt in potestate nostra, sed in arbitrii nostri libertate, quæ malo resistere potest aut consentire. Malum vnicum, quod à fine nostro nos avertit, est peccatum, at nullum vnquam peccatum est, nisi sit voluntarium procedatque à nostra libertate ; à nobis igitur malum est, cui idcirco attendendum, & peculiariter illi affectui, qui maximè naturam nostram infestat.

Est hoc alterum membrum propositæ veritatis, quod expendere etiam oportet. Tam infirmi & fragiles sumus, (a) vt non facilius frangi vitrum, nec ad ignem cera liquari possit, quàm nos simus in malum proclives, quavis oblata occasione, nisi sollicitè nobis attendamus, propone tibi ægrum aliquem, vix, & non nisi ægrè pedibus consistentem, in lubrico progredientem tabulato, qui antrorsum trahatur, retrò protrudatur in casum ; quid hic agat, nisi quis illi manum præstet, nisi & ipse suam porrigat, vt occurrat labendi periculo ? (b) Hoc ipso ritu plerumque nos incedimus : Tabulatum lubricum mundus est, obiecta nos trahunt in lapsum, eò natura propendet, impellit

Dæmon.

(a) *Sensus & cogitatio cordis hominis in malum procliva sunt ab adolescentia sua. Gen. 8.*

(b) *Ier. 23 & Psal. 34.*

Dæmon, sine Gratia sumus ipsa debilitate & infirmitate debiliores, infirmioresque: at Gratia nihil præstat sine nobis; an non igitur par est nos diffidere nobis ipsis, continuaque sollicitudine aduigilare propensioni nostræ, quæ singulis momentis minatur ruinam, nisi illam compescamus, compescendo autem feliciter perditur?

Præclarè pauculis verbis Sapiens, quales sumus, ostendit: (a) *septem inquit, nequitia sunt in corde hominis, qualiscumque sit; & tam verum est id ad nos quoque pertinere, quàm est exploratum, nullum esse peccatum, in quod quis cadat, in quod alter non laberetur, si vacuus foret desertusque à Gratia. Hæ igitur septem nequitia sunt septem peccati scaturigines, & veluti septem Hydræ capita, cor nostrum, vbi peccata omnia formantur, experimentia. Prima est, proclivitas illa naturæ in malum, quæ omnibus hominibus communis est. Secunda est, propensio peculiaris vniuscuiusque, quâ violentius rapitur in aliquod mali genus. Tertia, habitus à malis actibus contracti, confirmatique. Quarta, moralis necessitas verlandi cum creaturis, & arcta necessitudo, quæ nos objectis ad malum allicientibus immittit. Quinta, aversio naturæ, vt resistamus nostris cupiditatibus, vnde fit, vt ijs imprudentes & sine scrupulo obsequamur. Sexta, derelictio Dei certa quædam gratiarum dona subtrahen-*
 (a) *Proverb, 26.* C 5 *tis*

tis, quæ contulisset, nisi repulsam meruissimus. Septima, quædam cæcitas & obduratio (a) animi consequens, quæ paulatim in statu nos collocat, ut malorum nostrorum amplius nullus tangat sensus; sic assueuimus ut se iam accommodauerit Conscientia, neque alias aduertimus, nisi cum vacamus Exercitiis, de generali Confessione solliciti; tunc enim verò stupemus nos ipsos, miramurque sic viuere nos potuisse, attamen viuere potuimus, nec tamen aduertimus: Itaque vides utrum persona, quæ non omnino sit excorpi sed cor habeat septem hisce nequitias infelsum, non habeat quoque iustissimam de diffidendi causam, magnamque adhibendam cautionem.

Verum, nihil æquè nos confirmat in huius Veritatis assensu, quàm principis Angelorum primique hominis exemplum, erant illi Creaturæ tam nobiles, tantis præditi donis gratiarum, & ab illis ipsis septem nequitias quibus more nostro ruerent in malum, immunes; & tamen animadvertis, eos ipso primo creationis die miserrimè collapsos (b) &

(a) *Tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei per ignorantiam, quæ est in illis, propter cæcitatem cordis ipsorum.* (b) *Ecce qui seruiunt ei, non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit prauitatem: quanto magis hi, qui habitant domos luteas qui terrenum habent fundamentum consumentur velut à tinea! Iob 4.*

nos qui mera sumus infirmitas & malitia, non formidabimus? permisit hunc casum Deus, vt nobis foret exemplo, & hac veritate nunc considerata primam salutis lectionem suggereret: atque ob hanc causam exemplum istud in libello Exercitiorum meditandum proponitur, cui nihil video addi posse, nisi vt considerando lapsu harum duarum Creaturarum, tandem concludas, te præ illis longè magis esse lapsui obnoxium, adeoque debere te, tibi ipsi diffidere, & potissimum attendere illi affectui, qui tibi peculiaris est, quique te præcipuè in lapsum impellit.

Quomodo, inquit vatū aliquis, cecidisti de (a) cælo, Lucifer? & te, ô Adam, quid tam miserè præcipitauit? & ô Anima mea, quæ tua infirmitas, quod tuum vitium, vnde omnes isti lapsus & scelera? Fac ô Deus meus, vt illa sic agnoscam desileamque, vt lacrymæ meæ, & præterita eluant, & futura benè disponant.

(a) Is. 14.

II. PUNCTVM.

Aduersio in vitam anteaetam, & statum presentem.

PRO præteritis elicies hosce tres affectus.

Primò, humiliter profiteri ignorantiam huius veritatis, & tui ipsius, in qua hucusque vixisti, non cognoscendo, vti oportuisset

tuisset, (a) periculum naturæ corruptæ, & præfertim huius pravi tui affectus, nonne verum est, quod illum non habueris, vti debebas suspectum? & quia tibi incumbendum erat huic cognitioni comparandæ, agnosces negligentiam tuam, eiusque veniam à Deo postulabis.

2. Serio pudore erubescere tantum numerum vitiorum & scelerum, (b) quæ ex hac seu ignorantia seu negligentia profluxere; istas arrogantias, istas in hominum conuictu licentias, istas sciendi curiositates, istam cupiditatem honorum, munerum, excellentiæ, & alia eiusmodi, quæ tantorum scelerum fontes extiterunt. O anima mea, si habuisses perfectam tui notitiam, longè fuisses à prosecutione huius mundi, qui tibi perniciem attulit fugissesque potius, quàm ambiuisses eas occasiones quæ tibi fuerunt in laqueum & in scandalum.

3. Ingenue agnosce, malum omne & perditionem tuam esse ex teipso, & illam præcipue ab inordinato tui amore provenire; ab hoc amore te ad sectandas voluptates, honores, & commoditates impelliste, præ cæteris vitioso esse naturæ habitu, qui te abripit quem

(a) Comederunt alieni robur eius, & ipse nescit. Os. 7. (b) Via impiorum tenebrosa, nesciunt ubi corrunt. Prov. 4. Quasi bos ductus ad vitulum Etimam &c. & velut si avis festinet ad laqueum, & nescit, quod de periculo animæ illius agitur. Ib. c.

quem quæ tu excusas, quasi alius non tu, malum perpetraret. O quam inepta illa conscientia, quæ in eo se excusat, vnde grauius accusatur! Quo pacto veniam promerebitur, quam non efflagitat? quomodo efflagitabit, si se venditet ex eo innocentem, quo ipsa redditur nocentior? Iudica ipse, & damna hanc ream (a) ne à Iudice suo, qui se excusantes accusat & excusat accusantes, aliquando damnentur.

(a) *Quod si nosmetipsos diiudicauerimus, non utique iudicauerimur, I. Cor. II.*

III. P V N C T V M.

Propositum in futurum.

TRia in futurum decernenda sunt proposita.
 1. Nunquam conjiciendi culpam in alium, (a) quam seipsum, nec vnquam capiendi exculationem sui, à vitioso naturæ impetu: nam etsi absque culpa tua talem naturam sortitus sis, (b) probrum tamen est, & culparum omnium causa, illam non frænare.

2. Aduigilandi isti naturæ, vt illam cognoscas, cohibeas, oppugnes, regas; & cogas ad obsequendum tam fideliter rationi & Gratiæ, quam miserè illis aliquando rebellauit, quamque tu illi obsecutus es.

Denique, quantalcumque de familiari ac
 dome-

(a) *Iniquitatem meam annuntiabo, & cogitabo pro peccato meo. Ps. 37.* (b) *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illi. Gen. 4.*

domestico hoc hoste Victorias reportaueris,
 (a) nunquam illi fidendum est: Leo est, qui
 dormit; ignis est suppositus doloso cineri;
 proditor est, qui vultu amicitiam mentitur;
 aut fugiendæ sunt occasiones & species mali,
 aut non adeundæ, nisi ex necessitate mera, &
 ex Dei voluntate & imperio; aut vigilandum
 est, orandum & timendum; nam vt bene Cy-
 prianus, (b) *Vtilius est, infirmum se homo cognoscat,*
vt fortis existat, quàm vt fortis videri velit, & infir-
mus emergat. præsumptio est nimium sibi fi-
 dere, & Gratia ad hoc nobis concessa est, vt
 hanc præsumptionem opprimamus, aut si
 præsumptio esse pergit, opprimit illa gratiam
 omnem in nobis, proculque submouet.

Magno igitur animo hæc concipe & sta-
 tue proposita, sed qualiacumque statueris, ijs
 ipse diffide; nam maximè magnanimi, non
 semper constantissimi sunt, nisi ijdem semper
 humiles sint, & in propositis suis & sui ipsius
 notitia, timidi: Non ad fouendam ignauiam,
 quando ad effectus ipsos veniendū est, sed ad
 arrogantiam, (c) ad procacitatem, ad intem-
 perantiam morum moderandam, quâ illi ra-
 piuntur, qui se non noscunt, qui sibi non diffi-
 dunt, qui que propensione suæ, tanquam ho-
 sti, & velut in discrimine positi non attendunt.

COM-

(a) *Beatus homo, qui semper est pavidus, Prou. 28.*

(b) *Cypr. de singul. Cleric.*

(c) *Sapiens timet & declinat: Sultus transilit, & confidit. Prou. 14.*

COMPENDIUM MEDITATIONIS
in quartam veritatem.

I. P V N C T V M.

Declaratio eiusdem.

Considerato tuo Fine, agnosce te ab illo deflexisse, atque eodem esse reuertendum. Satis erat tibi Gratiae & mediiorū, vt ad finem tuum pertingeres, si tam Gratiae instinctibus quàm naturæ fuisses obsecutus: sed quia tuas potiùs naturæ propensiones, quàm cæli inspirationes audisti, perijsti. Quidquid bonorum omisisti per negligentiam, quidquid malorum effrenatâ tuâ licentiâ commisisti, an non sunt totidem iacturæ totidem abscessus, euagationes & errores à fine tuo? proh! quales iacturæ, quales errores! & vnde hæ miseræ, nisi à propensionibus tuis naturalibus, & à tuis affectibus deprauatis, quæ in immoderatam & effrenam illam viuendi licentiam te abriperunt, & quarum tu raptum secutus es? *Perditio tua ex te,* illius causam aliunde ne quæras, quibuscumque hostibus foris obsidearis, capitalissimus, & periculosissimus est indoles tua & tuus affectus, qui à naturæ corruptione deprauatus, deinde tuas omnes deprauat actiones.

Non

Non nosti te, nisi hanc quoque veritatem agnoveris, quam vt penitus animo imprimas, tibi lapsum Luciferi, primi que hominis propone, erant illi nobilissimi, atque omnibus donis naturæ instructissimi, tamen quia ductum naturæ potius, quam gratiæ secuti sunt, periēre; & tu qui mera es imbecillitas, miseria & corruptio, fides naturæ tuæ genio? Prorsus ne fide, perditum te it, nisi illum perdis, aut cedat ille rationi & gratiæ, necesse est, aut tu iure tuo, quod ad cælum habes.

II. PUNCTVM.

Adversio ad præterita & præsentia.

Collige animum & te ipsum percontare, num satis studueris, tantumque notitiæ tui sis assecutus, vt scias te tibi esse inimicum? quid? negas; pudeat ergo te tuæ tum ignorantia, tum negligentia, attentâ præsertim multitudine & gravitate criminum, quæ defectu huius cognitionis tui commisit; ne prætexas excusationem à tuis occupationibus, à tua fragilitate, nec ab alia quacumque re, sic enim pessumdares omnia. Accusa te potius, quod hucusque nimium te excusaeris ab impetu naturæ tuæ, qui, tantum abest, vt seruiat excusationi, vt te etiam coram Deo accuset; in promptu enim est Ratio & Gratia, quibus illum compescas; & indignitas
nimis

nimis noxia est, quàm vt excufationem veniamque mereatur, quod patiaris Rationem & Gratiam ab illo naturæ tuæ impetu violari.

III. P V N C T V M.

Propositum in futurum.

HÆc igitur tibi decreta stabilienda sunt.
 1. Vt nulli, quàm tibi ipsi, quàm adgenito naturæ habitui, qualiscumque ille fit, tuas culpas adscribas, nam etsi tua culpa non fit, illum esse vitiosum, & in malum proclivem; tua tamen culpa est, impedire cùm possis, pati vt in malum ruat.

2. Vt attendas illi habitui, eumque cogas deinceps tam subesse rationi, quàm ratio illi hactenus fuit subiecta, & 3. denique vt nunquam illi fidas, quantumuis subiectus esse videatur, non enim contineri potest, nisi vi, & quamprimùm remittis, illique e fidis, erumpit, & dominatur: adeò vt Sanctorum maximi, & in hac pugna fortissimi censeantur illi, qui in hac sui diffidentia constantes sunt: contra verò dissolutis sint maximè moribus, qui ex arrogantia & libertate minimum sibi diffidunt, ô Deus meus, quantò conducibilius est, agnoscere se debilem, vt fortis evadat, quàm reputare se fortem & validum, vt fiat debilis & ruat!

QVIN-

Q V I N T A V E R I T A S .

Perniciosiores esse, quàm existimemus, propensiones nostras naturales, cum ne illas æstimemus, ipsæ impediunt; & cum ad plura patranda scelera nos impulerint, tum demum efficiunt, ut existimemus, minus nos esse peccatores.

Et dixisti: absque peccato, & innocens ego sum, & propterea auertatus furor tuus à me. Ecce ego iudicium contendam tecum, eò quòd dixeris non peccaui. Ier. 2.

M E D I T A T I O

De quinta Veritate.

I. P V N C T V M .

Veritatis declaratio.

EXaggeranda nobis mala nostra non sunt (a) sed neque dissimulanda: si in nostris affectibus, & propensionibus naturæ sola esset procliuitas in malum, malum non foret admor

(a) Ego ipse mente seruo legi Dei, carne autem legi peccati. Nihil ergo nunc damnationis est ijs, qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulans. Rom, 7. & 8.

admodum graue, abesset enim peccatum; at cum propensiones nostræ non sistant in primis istis motibus, qui sæpe non sunt in nostra potestate, sed progrediantur ad secundos, id est, ad actus & effecta, quæ nostri sunt iuris, fit, vt quando inhæremus cogitationibus, quando affectibus amoris, desiderij & alijs commoti, iisdem auscultamus, quando loquimur & agimus ex harum inclinationum consensu, eadem fieri vitiosas, (a) non nudè, quatenus inclinationes sunt naturales, sed quatenus abeunt in actus voluntarios, qui sunt inordinati, adeoque peccata. Atque istud est, quod plerumque nobis vsu venit, (b) & cui tamen minimum mentem aduertimus; quando meminimus peccatorum nostrorū, non attendimus ad originem, vnde emanant, vnde fit vt ea non emendemus: & vt subinde oculos conijciamus in hanc originem seu inclinationem nostram, non tamen illam pessimis suis effectis inde pullulantibus stipatam intuemur, sed quasi quendam naturæ habitum, quem eradicare nostrarum non sit virium; atque ita non apprehendimus mala, damnaque inde prouenientia.

Hanc ob rem quartæ veritati opportunissimè succedit hæc quinta; *plus mali inesse nostris propensionibus, & grauiores non esse peccatores,*

quàm

(a) *Concupiscentia cum conceperit, parit peccatum.*
Iac. i. (b) *Ad nihilum redactus sum, & nesciui.* Ps. 72.

quam existimemus ; nam ob neglectam mali istius apprehensionem , reddimur incurij, ideoque ut ad vigilandum , attendendumque potenter excitemur, mali ac periculi cognitio præcedat, necesse est. Quò etiam nos libellus exercitorum inuitat , quando post meditationem præcedentem, inducit nos in examen & considerationem multitudinis & gravitatis nostrorum peccatorum, quod exequi vtilius non possumus quam assentiendo quintæ huic veritati, cuius triplex est sensus.

Primus , propensiones nostras sæpiùs causam esse peccati , quam putemus , quoribus enim liberè illis obsequimur , & ab illa commotione siue in cogitatis, siue dictis , factisve producitur aliquid inordinatum, iam id peccatum est. & sæpe , nobis non advertentibus id accidit. Cum enim propensio illa naturæ nostræ congenita sit, blandiùs in actiones se sinuat ; facillimè sopit rationem , ne cognoscat scelus admitti ; occultiùs (a) conscientiam suffocat , ne nullo sceleris sententur tangatur ; atque ita fit , ut plurima in cogitationibus, in verbis, in operibus perpetrata sint scelera, cum ne vnus quidem nos reos arbitremur. Est ea fascinatio , cuius meminit Sapiens, (b) quæ sic aciem mentis obscurat , ut mores ipsi nostros non perspiciamus. *Delicta eorumque numerum quis intelligit?* aiebat (c)

David.

(a) *Tergens os suum dicit : non sum operata malum.*
 Prov. 30 (b) *Sap. 4.* (c) *Pf. 18.*

David. At nihil intelligentiam illam prohibet, nisi illud ipsum, quod ad patrandam peccata nos impellit; eadem enim propensio, quod plurimum scelerum est Auctor, eò etiam reddidit nos scelerum nostrorum ignorantiores.

Ab his occultis meis sceleribus libera me Domine.

Alter præpositæ veritatis sensus est, malum peccati ab inclinatione illa provenientis, gravius esse quàm puteretur. Generatim de quovis peccato asseuerari hoc potest esse, quàm putemus, gravius: Cum enim Dei sit offensio, ruina divinarum gratiarum, & bonorum spiritualium everfio; sicut ignoramus excellentiam & Majestatem Dei offensi, (a) valorem gratiarum, & spiritualium bonorum pretium, ita etiam gravitatem peccati hisce bonis infinitis & ignotis oppositi, non capimus. O peccatum, utinam perspecta foret malitia tua! At istud adhuc verius affirmabitur de peccato, quod ab inclinatione ortum habet, gravius semper est, quàm existimemus, atque eadem ratio, quæ efficit, ut sæpe non agnoscamus inesse peccatum, etiam facit ut si agnoscimus, cæteris tamen lenius existimemus, etsi revera gravius sit. In hunc errorem nos abducit amor nostri, ubi enim maior propensio est, ibi plus amoris est & illecebrarum, maior ad consentiendum promptitudo,

(a) *Stultus populus meus me non cognovit: Filij insipientes sunt & recordes; sapientes sunt ut faciant mala, bene autem facere nescierunt, Jer. 4.*

pritudō, & per consequens animadversio ad malitiam explorandam minor : & tamen hæc malitia gravior est, magis enim cor Deo suffuratur, mentem ita distrahit & occupat, ut ea potius cogitentur, fiantque, ad quæ affectus noster nos rapit, quam quæ Deum, eius obsequium, & obligationem nostram spectant. Vbi cordis affectio est, ibi tota voluntas reperietur, ubi verò plus voluntatis est in ordine ad vitium aliquod, istud vitium gravius peccatum est, cum peccatum non aliunde quam à voluntate confiat. Et frustra dices te animū eò non advertere, nam advertere oportet; & istud in hoc malo pessimum est, quòd rationem quodammodo inebriet, præpediatque ne omnes mali affectiones expendat; & verò quiuis (a) alius peccati gravitatem clariùs agnoscat; quàm is, qui peccatum admittit: sicut autem ab eo affectu discedere non lubet, ita neque placet attentius considerare, num in eo peccatum sit, num gravet: vrgeretur enim nimium animus, ut illo se affectu expediret; aut ne scrupulus obrepat, & contra conscientie dictamen agatur, adeoque ut peccetur liberiùs, negligitur hæc necessaria animi adversio. Itaque exaggeratio mali est, nolle cognoscere malum suum, ne si cognoscas, deserere cogaris. Vnde certa consecutione fit, tum nos minimum peccata nostra

(a) Non venit ad lucem, ut non arguantur opera eius.
Ioan. 3.

nostra sentire, cum maximè peccamus, affectus enim qui in peccatum nos præcipitat, idem nobis adimit illius sensum, quandoquidem si vero peccatorum sensu tangeremur, non sineremus nos eo per affectum impelli.

Nihilò plus excusabis, si dicas te non amare peccatum, optareque ut nihil subit mali in eo, quod amas, aut facis: nam sufficit rem amare quæ peccati est causa, & quamvis res de se mala non foret, ut sunt homines, aurum, honor, studium, aut aliud aliquid, cui afficeris, si tamen propensio est immoderata, vitium existit & peccatum, quod in causa quidem graue non videtur, at paulatim accrescit, & in effectis euadit perniciosum. Quod obiectum amore dignius, quam persona Christi Seruatoris? isto tamen amore illam prosequerentur Apostoli, quo Iesus amari volebat, potuisset enim illos ab aduentu receptioneque sancti Spiritus impedire. In modo igitur amandi potius vitium est, quam in obiecto, cum obiectum amari possit, si sine vitio, sine immoderatione ametur: (a) at ubi propensio naturalis, non moderata, eò fertur, ipsa propensio vitium fit, & grande malum.

Pro sensu tertio, huius mali grauitas, ex damnis, quibus præ cæteris peccatis nos in-

voluit,

(a) *v. 1. Timoth. 8. Ioan. 6.*

voluit, æstimanda est. Etsi enim nullum non
perniciosissimum sit, reditur tamen ad cor
culpa agnoscitur, subicitur Confessione, cor-
rigitur, & eius venia obtinetur. At his peccatis
affectûs, nimixque adhæſionis, (a) nisi maturè
prospicitur, tam pertinaciter obfirmatur ani-
mus, vt inde se vix vnquam expediat: nam nec
cognoscuntur, nec lubet cognoscere; in iis pa-
pamus nos, nos excusamus, malo fucû indui-
mus, nō integrè confitemur, sine serio dolore
cū abſit emēdationis propositū; & quā igitur
ratione remitteretur? Quādo liceret sese e-
mendare, nō lubet, & cū olim lubebit, nō li-
cebit sanè. Gratia enim subtrahetur, quæ
vulgaris horum sceleratorum pœna est, &
gratiarum priuatione castigentur, sine qua
bus in maiora prolabuntur, æternūque
pereunt. Hæc sunt peccata veniæ expertia
peccata in Spiritum Sanctum aduersantia
luminibus & in spirationibus diuinis. Ho-
peccatum est, in quo, iuxta minas Evangelii
quis morietur; sunt peccata, teste S. Paulo
quæ nullâ hostiâ aut sacrificio queunt expia-
ri, hæc sunt, quæ secundū D. Ioannem,

(a) Nunquid qui cadit, non resurget? & qui auersus
est, non reuertetur. Quare ergo auersus est, populus
iste auersione contentiosa! apprehenderunt menda-
cium, & noluerunt reuertî. Ier. 8.

Et cor suum posuerunt vt adamantem, & facta
est indignatio magna à Domino. Zach. 7.

(a) Heb. 10. (b) Ioan. 5.

animas ducunt ad mortem, pro quibus frustra oratur; denique ex quibus nihil, nisi certa derelictio, & ruina irreparabilis queat expectari.

Quid ais? tantumne propensionibus tuis credebas inesse mali? nam ut aliquando peccata non sint, plerumque tamen eodem cadunt, & quamuis non sint semper mortifera, sæpius tamen quam credas, euadunt talia; & quisquis se tam propè peccato mortifero ad-mouet, ut veniale non vereatur, breui ruet in mortale, adeoque etsi tibi noxæ leuiore viderentur, si tamen sunt ab appetitu, & propensione naturæ, quamprimùm euadent mortales: non sistet illic affectus, semper incrementa capiet, prodet te, Deusque id in pœnam infidelitatis & negligentiae tuæ permittet: si enim audieris vnquam commemorari periculum labendi è peccatis venialibus in mortifera, atque vix aliquem solere inde emergere, (a) sermo fuit de ijs venialibus, quæ potissimum ab affectibus & propensionibus naturæ nimijs prodeunt, ac fouentur. Tu opte iudicio hanc veritatem æstima, & vide, an non passiones tuæ passim cœperint à noxis leuionibus, quæ ad grauiore deinde aditum & licentiam tibi patefecerunt? & an non crescens Passio efficiat, ut tandem grauiora scelera non magis animum, quam leuia percellant? Ah quot interim abusus, quot vitia, quot peccata,

D

(a) v. S. Thom. I. 2. q. 88. a. 3.

cara, quæ non noueras, admissa sunt! O quanta Dei patientia, quanta bonitas, tam diu sustinuisse nos, nos, inquam, post tantam peccatorum multitudinem, qui de Angelo & homine ob vnicum scelus pœnas sumpsit tam horrendas,

II. P V N C T V M.

Aduersio in vitam anteaetam, & statum presentem.

ADuersio ad res præteritas complecti debet tres actus Pœnitentiæ, quibus fortassis hæctenus nunquam, quòd te nõ eo modo agnoueris, quo nũc edoctus es, satisfecisti.

Contritio non fuit, nisi imperfecta, non tantum defectu motiui amoris, sed etiam quòd non perspexeris peccati tui grauitatem, cum non dederis operam vt illud perspiceres, illudque in sua origine, hoc est, tua propensione & affectu, scrutareris, & quòd non habueris serium illam extirpandi desiderium, nunquid ita est? Visne igitur mori in peccato tuo, nunquam illud ignosci tibi cupis? & quo pacto ignoscetur, cuius te non pœnitet, de quo non contereris? Ecquando tandem contereris? ah Deus meus nimium distuli, & pacem tuam, hinc contritionem ipsam ordiri cupio, quòd tantoperè distulerim.

Confessione hæc deesse potuerunt, quòd ob-

bitet

biter quædam peccatâ percurrerit, in quibus
fuiſſet diutiùs inhærendum, tum ad clario-
rem ſui notitiam, tum ad vehementiorem pu-
dorem excitandum, tum ad ſuggerendam
confeffario materiam & libertatem inſtruen-
di nos documentis & ijs commonitionibus,
quas promerebamur: ſed natura deprauata
quæ vbique ſe inſinuat, tantùm ſtudiuit eua-
dere, neque verecundiam ſufferre potuit ma-
niſteſtando ſe, eaquæ dicendo, quæ pro maiori
ſecuritate dici debuiſſe nunc videmus, quæ-
que in hora mortis nollemus præterire: at in-
terim perſuaſimus nobis iſtis, ea non eſſe ne-
ceſſaria, non eſſe peccatum grauius, nos ple-
num ijs conſenſum non adhibuiſſe. O quales
confeſſiones? Itâne negotium ſalutis noſtræ
& perfectionis tractauimus? Itâne ludibrio
habuimus animam noſtram, Sacramenta,
gratias Diuinas?

Qualem deinde ſatiſfactionem peregrimus?
quam adhibuimus operam, vt magis atten-
deremus peccatis confeſſione expiatis? nam
ea conditione, illorum venia nobis indulta
eſt, vt diligentius ea caueamus, & interim
poſt tot meas confeſſiones tam facile meis
affectibus ſum obſecutus, ac ſi nulla eos co-
hibendi tenerer obligatione. O Deus, deli-
cta iuuentutis meæ & ignorantias ne memi-
neris, etſi voluntariæ illæ ſint, & ſceleratæ,
nunc tamen eas agnoſco, & cum tua gratia
reparare deſidero.

III. P V N C T V M.

Propositum in futurum.

TRia proposita, quæ hîc concipies, erunt
 Primò, vt te humilies, teque in sancto a-
 liquo meru, (a) & cordis compunctiōe conti-
 neas, ratione cognitionis, quam de hac veri-
 tate consecutus es: quod tibi non hodie so-
 lùm, aut per exercitiorum tempus facien-
 dum est, sed per omnem vitam, cum ea sem-
 per constet veritas, semper futurum sit ve-
 rum, te maiorem, quàm reris, esse peccato-
 rem, adeoque demissiori atque timidiori ani-
 mo esse oportere.

2. Si non instituis Confessionem omnino
 generalem, fac tamen illam solito amplio-
 rem, nec tam attende ad numerum peccato-
 rum, quàm ad nonnulla, quæ sunt periculo-
 siora, magis inueterata, magis tibi propria,
 quæque indicant habitum, & naturæ pro-
 pensionem, cui coërcendæ debitam operam
 non nauasti.

3. Securis ad radicem ponenda est, serioque
 animi decreto statuendum, eam partem mu-
 nire, qua te lentis debiliorem, te ibi oppugna-
 re & vincere, vbi potissimum impeteris: & re-
 in

(a) *Humilia valdè spiritum tuum, quoniam vindicta
 carnis impy, ignis & vermis. Eccles. 7.*

in ijs validissimè cohibere, in quibus natura liberior proteruiorq̄ue videtur. Præuide occasiones, tempora, loca, personas & alia adiuncta, vt tantò faciliùs prouideas. tandem adijce hanc precatiunculam: O Deus meus, quàm doleo, me vitam hucusque tam malè traduxisse; at gratiæ tibi sint infinitæ, quòd eandem in hanc vsque horam produxeris, quàm cognoscò mihi meliùs vitendum esse, & verò per gratiam tuam præstare ex animo cupio. Amen.

COMPENDIUM MEDITATIONIS
de quinta veritate.

I. P V N G T V M.

Declaratio eiusdem.

SI nullum aliud malum inesset propensionibus nostris, nisi quod sint naturales, posset leue malum videri; at cum ad peccatum, quemadmodum vidimus, nos impellant, in eo sanè sunt perquam periculosæ, & periculum tantò grauius est, quantò semper grauius est malum istud, quod nobis inferunt, quàm putemus, imò vel maximè, quòd impediunt etiam, ne animum aduertamus ad malum, ne illud agnoscamus, & aliquo eius sensu percellamur.

Hæc veritas tripliciter intelligenda est,

D 3

1. Quan-

I. Quando à naturæ motibus ducimur ad agendum, sæpiùs subest peccatum, quàm existimemus, assuetudo enim, & mentis attentionem, & scrupulum, reprehensionemque conscientiæ tollit omninò; quòd eam depræuet natura persuadeatque, mala illam intentione non ferri, fieri dumtaxat ioci & licite oblectationis gratiâ: sed Deus interim peccari advertit.

2. Peccatum, etiam opinione nostra gravius est, cum eadem ratio, quæ peccatum aggravat, doceat quoque nos excusare illud aut diminuere. Ab affectu coram Deo peccatum exaggeratur, quia plus in eo voluntariè est, maior ad creaturam adhæsió, & plenior averfió à Creatore: at idem quoque affectus in æstimatione minuit peccatum, quia præpedit, ne omnia illius adiuncta dinoscantur, & quia vitioso naturæ iudicio numquam videtur turpe aut prauum, quod diligitur.

3. Denique plus mali inest illi peccato quàm putetur; difficiliùs enim ex eo, quàm ex alijs emergit animus, qui sic, ob affectus violentiam, immerfus est, ut in dies emendatio protrahatur, & hanc procrastinationem sequitur obstinatio, tantaque cordis contumacia, ut etiam tum, cum luberet, expedire se non possit, iustâ Dei vindictâ, quòd tum non libuerit cum fieri potuisset. Nonne igitur verum est, plus inesse mali, quàm cogitemus? Altimis quàm verum est? nam etiam tum, cum cogi-

cogitamus, non deprehendimus malum omne, quod in hisce affectibus nimum naturalibus existit.

II. P V N C T V M.

Adversio ad praterita presentiaque.

HÆc adversio tres partes pœnitentiæ spectare debet, quæ, sine dubio, tam perfectè non peraguntur ab ijs, qui naturæ impetu ad peccatum deducuntur, quàm ab alijs, qui sola fragilitate, aut imprudentia, aut negligentia. Nam, qualis esse potest contritio, quæ Confessio, & satisfactio de eo scelere, quod deserere non velis? fatère verum, quando confessus es hæc affectionis peccata, vt sunt, quæ vanitatem, quæ libidinem, quæ luxum, quæ creaturarum amorem contingunt, serióne statuebas eodem non reueri? voluisses fortasse amplius non peccare, at deserere peccandi obiectum & occasiones, id sanè est, quod noluisti, cum idem tamdiu tenueris peccandi institutum; attamen id, ad veram contritionem confessionemque velle oportebat. Vnde meritò timere potes, ne tantum dederis verba in hoc Sacramento, & cor abfuerit quod hærebat suis affectibus implicatum. Ah quale sui colligendi, providendique argumentum!

III. PUNCTVM.

Propositum in futurum.

Primum illud sit, vt tantò credas sceleratiorē, quantò minùs te peccatorem hactenus existimasti.

Alterum, vt recolas tuas confessiones, non tam animo easdem de integro reiterandam quàm accusandi te de ijs, quæ maiorem tibi confusionem creare queunt, tum, quia periculum est, ne id omninò non, aut tantùm obiter feceris, tum quòd iste sit modus optimus præterita expiandi, & futuris providendi.

Siquidem, quod ad tertium propositum attinet, cum seria confessio eò tendat, vt animum innoues, vt in veterem peccandi conscientiam non relabaris, necesse est, vt te ipsum adoriaris, vim tibi inferas, te oppugnes, vincas: Hac de futuris poenitendi ratione optimè præterita expiabis: & vnicum solatium, quod nobis restat in actæ vitæ derestatione est, quòd viuere meliùs possimus, nam nisi viuimus in eo meliùs viuendi desiderio fatiùs profectò foret, confestim emori.

S E X T A V E R I T A S.

Nos, quòd summi peccatores non simus, non ideo non esse in statu pessimo, periculosissimo que; quandoquidem in Dei seruitio tepidum esse, maius sit malum, quàm esse frigidum.

Vtinam frigidus esses, aut calidus, sed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te euomere ex ore meo. Apoc. 3.

M E D I T A T I O.

de sexta veritate.

I. P V N C T V M.

Declaratio dictæ veritatis.

Habe præ oculis scopum peculiarem hodiernarum meditationum qui est, ut explorata habeas damna, ex naturæ tuæ motibus, nisi compescantur, prouenientia, & quomodo illi à fine te tuo deflectant. Iam nunc vidisti, quàm te præcipitent in malum, & malum istud grauius esse ac periculosius, quàm existimerur, cum ob multitudinem, tum ob atrocitatem scelerum, inde velut è fonte manantium, quæ vel ignoramus, vel par-

D. S.

rim

S E X T

tim dissimulamus, eò quòd vbi naturæ im-
 petus est & affectio, ibi ignorantia & cæcitas
 non desit. Quod modò per sextam hanc ve-
 ritatem tibi proponitur, apertissimum est a-
 priores stabiliendas, & ad inculcandum ani-
 mo horrorem eius periculi, quod in peccati-
 tuis est, & in perueris illis naturæ motibus
 velut eorum causa, vt prætexere nihil omni-
 no possis ignorantia tuæ aut cæcitati, (a)
 tam manifestum, in quo versaris periculum
 non animaduertas. Nam quidquid duabu-
 postremis veritatibus poteras obiecisse, et
 noxas illas, si quas admittis, esse defunctorias
 ijs sua adesse remedia siue in confessionibus
 siue in alijs medijs, ad eas reparandas, oppor-
 tunis; denique dices, te, re bene perpen-
 sè pessimis non esse, procul esse vt velis
 admittere quidquam graue & animo mali-
 gno; at quod negligentias, & fragilita-
 tes attinet, tam sanctum neminem repe-
 riri, qui his vacuus sit, tibi tuas imper-
 fectiones esse, alijs suas, fidendum Di-
 uinæ bonitati, cui perspecta est nostra
 infirmitas, & commiserationem mouet.

Talia sunt naturæ adhuc obluētantis ar-
 gumenta, quæ persuadere nobis nititur, vt
 in possessione suarum inclinationum &
 commodorum relinquatur. Nam reuerà,
 nisi id occultè nobis persuasum foret, nos è
 pessimis

(a) Scito, & vide, quia malum & amarum est, te re-
 liquisse Dominum Deum tuum, Ier. 2.

pessimis nullos esse, neque in ista viuendi ra-
 tione tantis obnoxios periculis, quanta de-
 nuntiantur, maiori studio curaque nostræ
 salutis negotio prospiceremus. At en tibi
 respondetur terribilibus illis verbis, quæ sex-
 tam veritatem constituunt: Noxas tuas non
 esse noxas defunctorias, aut meræ fragilita-
 tis, vt tibi quidē videtur, sed assuetudinē con-
 firmaras, (a) sed malitiæ plenas, & quamuis
 malitia non videatur tam atrox & periculo-
 sa, quàm aliorum quorundam, & peccata
 tua, si cum grauioribus componantur, sint
 leuia, nihilominus ab illis in te cōstitui quen-
 dā habitum mentis & conscientiæ, qui tepor
 & languor animi nuncupatur, longè sanè pe-
 riculoser, quàm sit status sceleratorum,
 qui tam frigidi quidem sunt in Diuino ser-
 uitio, vt eidem, quàm tu, minus vacent, mi-
 nori tamen pereundi periculo exponuntur,
 quàm tu, nisi attendis.

Cogira igitur modò, quid sit, esse tepidum in
 seruitio diuino: quid tibi videtur, quàm censes
 aquam esse tepidam? illam nimirum, quæ nec
 frigida est, nec calida; ad eum modum, tepi-
 dus ille in salutis suæ negotio dicitur, qui nec
 bonus est, nec malus; qui tã bonus non est, vt
 sit in eo statu, (b) quem & propria conditio,

D 6

&

(a) Veruntamen scito iniquitatem tuam, quia in
 Dominum Deum tuum prauaricata es. Ier. 3.

(b) De his fusè Cassian. l. 10. Mon Insti. de Spir.
 Acedia. & coll. 4. cap. 19.

& gratiæ diuinitus concessæ requirunt; neque
 tamen etiam improbus est, vt omnem con-
 scientiæ sensum amiserit, velitque animus
 adicere ad ea crimina & flagitia, quæ ab aliis
 perpetrantur. (a) Ille est, qui iuramentis, quæ
 furis, qui impudentibus mendacijs abstinet,
 qui nollet quemquam occidere, aut gra-
 damno violare, qui ebrietatis, libidinisque
 crimina abominatur. (b) Persona est, cui
 nihil minus obijciat, quæ sacro Missæ quo-
 tidie interest, & sæpe Domini mensæ
 accumbit; quæ (si placet) Ordinis Ecclesi-
 astici, aut etiam Religiosi; quæ meditari
 habet usum, & nonnunquam se abdit
 spirituales octo dierum exercitatione.
 Sed de cætero, persona est, quæ abunde
 suis motibus & affectibus naturalibus quibus
 libenter indulget, & quos frænare non sat
 agit, nisi tum cum de peccato manifestè mor-
 tifero agitur. Est, quæ quidquid amat, amat
 vehementer; quæ opum, honorum, & com-
 moditatum suarum est percupida, adeo vt
 aduersi si quid accidat, ægrescat animo; gra-
 uemque iacturam æstimet, si quid de fortu-
 nis, de boni nominis opinione, quæ pollebat
 inter homines decerpatur. Est persona tum
 humilis demissique animi, cum a nemine vi-
 lipenditur; tum comis & affabilis, cum versa-
 tur inter eos, quos naturæ genio complecti-
 tur.

(a) Greg. 3. p. pastor. admonit. 25. (b) S. Bern.
 ser. 6. de ascens. Dom. & 65. in Cantic.

tur; tum patiens, eum nihil molestiarum inferatur; tum pia, cum voluit elegātem libellū, cum sapidæ meditationi vacat, aut tenero aliquo deuotionis gustu imbuitur; quæ denique speciosis verbis & suspiriis Dei amorem contestatur. At si contemnitur, si oppugnatur, si aliquo incommodo afficitur, si aliqua rerum diuinarum nausea subrepat, si factis ipsis prodenda sunt Divini amoris argumenta, iam nec humilitatis, nec mansuetudinis, nec patientiæ, neque charitatis, neque deuotionis quidpiam meminit, breuiter, ex illis est, quos S. Paulus (a) dicit, *habere quidem speciem pietatis & probitatis, virtutem autem eius abnegare*, hoc est, in effectum non educere: non quod hypocritæ sint aut simulatores, absit; optimè, ut illis quidem videtur, & pro viribus agunt sua, at non credunt, plus fieri oportere, aut posse se illud etiam exequi, quod molestum experiuntur & difficile. Vellent ad sanctitatis fastigium conscendere sine virtute, aut virtutem adipisci non coercitis suis affectibus & propensionibus; aut has non coercere, nisi cum fieri sine molestia potest. Id enim vero est, esse tepidum, est versari in statu periculosiore, quam si frigidus sis, quam si viuas eorum sæcularium instar, qui tanto perè non applicant se pietatis officijs, qui que subinde etiam grauib; se criminibus obstringunt.

Quod

(a) 2. *Timoth.* 2.

Quod si actiones & statum præsentē horum tepidorum, & horum frigidorū spectes, fatēdum est, tepidorum actiones nō esse tam prauas ac sceleratas, quā sunt frigidorum, ac statum illorum præsentē videri magis innoxium, quā aliorum, quorum viuendi ratio pæne perfidia & vitijs scatet: verū si spectes totam illorum vitam, & dispositionem animi in vtriusq; vel ad recipiendas vel repellendas gratias diuinitus oblatas, vt saluti suæ operetur, aio tepidorū periculū maius esse, quā frigidorū, & ab his, quā illis, plus boni posse sperari: ad eum modum, quo dicimus puerum spei esse melioris, & olim doctrinā anteiturum alteri firma iam ætate viro, qui in præsentibus tamen puerum eruditione superat, si puer ingenio est acutiore, illoque melius, quā alter, vultur: Ita intelligenda sunt verba Seruatoris, dum frigidum mauult, quā tepidum, non enim sensus est, quod tum, cū persona est tepida, minū accepta sit, quā alia, quæ tum frigida est, sed quod, cū necesse sit vtramque resipiscere, & ad meliorem frugem conuerti, vt à Deo constitutum perfectionis gradum assequatur, (a) difficilius conuertenda sit illa quæ tepet, quā quæ friget; minus conuertetur Pharisæus, quā Publicanus, & facilius ad fidem reuocabitur hæreticus aut infidelis, quā Catholicus, quā Ecclesiasticus,

(a) Sicut ante teporem frigus sub spe est: ita post frigus, tepor in desperatione, &c, Greg. supra.

aut Religiosus mores suos reformabit. Itaq; absolute loquendo, mauult Deus illos frigidos quàm hosce tepidos, illos enim experientur suis gratijs paratiores, obsequentioreſque, quàm hosce alios, qui continuò ijs resistunt: magis, fateor, hi peccant, sed ex ignorantia & fragilitate; at alij post tantam notitiam & tam frequentem confessionis vsum, meritò ex malitia peccare censentur.

Si gratiæ tepidis collatæ, fuissent oblatae frigidis, maiorem ex illis quæstum hi fecissent; ideoque Deus ab istis auferet, quod his conferat; & erunt nouissimi primi, & primi nouissimi. In locum Esau succedet Iacob, & fratres suos præuertet Ioseph; sedem Saulis, Dauid; Absalonis, Salomon; Esther, Reginæ Vasthi, Christiani. Iudæorum; Indi, Europæorum occupabunt; Itaque vides frigidus incallescere, & tepidos relinqui in sua tepiditate: & sicut aqua tepida faciliùs coit in glaciem eamq; duriozem, quàm aqua natiuo suo frigori relicta, sic animaduertes neminẽ ducere vitam probrosiorem, & minore spe frugis melioris, quam eum, qui à pia viuendi ratione elanguit, aut qui vitæ deuotæ & spiritali, quã profitebatur, non plenè ac integrè se addixit, is enim iniuriam facit. Deuotioni quam ludibrio exponit, dum vnus vitium sic ex naturæ impetu viuentis, trāscribitur in alios eius generis homines deuotos, vulgoq; dicantur & ipsi suos males pati, nec minùs ceteris affectuum

Etuum perturbationibus agitari: atque irascuntur illos impij, ac in sua impietate confirmantur.

Ah! respuit IESVS eos ministros, qui duobus Dominis famulantur, aut vno tantum pedem in viam salutis calcant, planè dicendum est, cuius simus Ministri, Christine, an naturalis nostri appetitus? nam alias pronuntiabit ille, cuius velit esse Dominus, eligetque potius illum, qui penitus aberat ab eius obsequijs, quam hunc, qui mediam & accisam illi seruitutem seruiebat. O mi IESV, facile periculum aduerto, quod tepidis imminet, sed illud video tantum esse, tamque manifestum, ut aegrè credam, me ex eorum esse numero, propter optima tibi seruiendi desideria, quibus ardet animus meus. Quare rogo te, ut me illustres, quò me ipsum, hac in re, cognoscam.

II. P V N C T V M.

Aduersio ad vitam antea actam, & statum presentem.

COnstat, facilè nos assentiri veritatibus, quando nos non contingunt: at si inuoluunt nos, tamq; validè impetunt proprium nostrum amorem, ut accidere veritati non liceat, quin nos ipsos damnemus, tunc enim verò effugia quærimus aut ex parte veritatis, in molliorem, nobisque commodiorem sensum

sum illam interpretando, aut ex parte alicuius pij affectus, quo in veritatem & virtutem ferimur, nobis persuadendo minas illius ad nos non pertinere itaque elabi illam sinimus sine vlllo fructu, aut vitæ emédatione.

Primus igitur affectus hic sit dolor & detestatio præteritorum, quòd cum toties audieris hanc veritatem, non tamen pro eo ac oportebat, apprehenderis; non credendo, te esse ex illis tepidis, quibus tales minæ, pœnæque denuntiantur, quales fert illa sententia, quam pro fundamento sextæ veritatis proposui.

Secundò penitiùs te scrutare, & vide an tantum ferueas, quantum deberes, tu qui asides fornaci, & tantum quotidie gratiarum accipis, quantum sufficeret regnis integris conuertendis. An non tu ille es, qui tui contemptum non amas? qui respuis patiendi occasiones? qui tantum inter amicos mansuetus es & comis? quique virtutem tuam potiùs collocas in tenero quodam gustu pieratis, quàm in seria tuorum appetituum victoria? quidni igitur sis ex illo tepidorum numero, quos veritas affatur? Excutiamus paulò accuratiùs & cum otio mores omnes nostros, vtrum ad virtutem, an ad nostros appetitus conformati sint; Examinemus virtutes nostras, vtrum integræ sint, an imperfectæ, vtrum conformes sint luminibus, cognitionibus, & sensibus, quos de illis Deus nobis-

nobiscum communicat, an verò procul dis-
sentiat; ad mensuram enim gratiarum ac-
ceptorum, aut pro status nostri ratione ob-
latarum, expendenda est virtus nostra & vita,
non verò ad comparationem aliorum, quibus
forsitan Deus tantas non contulit gratias, ac
nobis. Nisi te ipsum palpes, causam saltem
habebis suspicandi, te non esse, ex feruentio-
ribus, & proximè te ad tepidos accedere: aut
si tibi assentaris, multò magis metue, ne obse-
quaris proprio tuo amori, eo potissimum
tempore & occasione, quo nullum illi fræ-
nando vincendoque aptius esse potest, hoc
est, tempore orationis: ecquid fiet alibi, ubi
apertè regnat & dominatur? Tandem, etiam
præterita sic essent, præsentiaque, ut nulla te-
poris nota tibi adhæresceret, an nullum fu-
turis temporibus periculum est? ut nihil al-
liud deesset, quàm is, de quo dixi, timor in
magno es elanguendi periculo, solus enim
hic timor sanctos & maximè feruentes in
suo feruore conseruat. *Nusquam est securitas,*
ait D. Bernardus, (a) *nec in celo, nec in paradisi-
so, nec in mundo: Nam de celo Angelus, de Para-
diso Adam, & de schola Christi Iudas excidit. Non
locus homines, sed homines locum sanctificant.*

III. P V N-

(a) *Serm. de ligno, fæno, & stipula.*

III. P V N C T V M.

Propositum in futurum.

ID ergo tibi nunc faciendum est, vt primò, falsis illis persuasionibus, quæ timoris expertem te faciunt, animum exsoluas, tibi que ad viuum proponas eas considerationes & argumenta, quæ tam luculenter persuadeant te tepidum esse, quàm verum est, te non posse venire in censum feruentissimorum, perfectissimorum que. Secundò, vt non instituas comparationem tui cum alijs, nec status tui, cum imperfectiore, quasi non esses ex pessimis, & in maximo periculo non versarere, cum videris opus non esse, vt sis ex pessimis, quo tepidis adnumereris, & tepidum, ea solùm ratione, quod tepidus sit, in maximo versari periculo. Tertiò, vt non fidas pijs quibusdam affectibus, & bonis melioris vitæ desiderijs, nisi ad res ipsas & facta accedas: nam istud proprium est tepidorum, quos, vt loquitur Sapiens, (a) *desideria occidunt, vt nolint quidquam manus illorum operari, sed satis esse putent, si tota die concupiscant & desiderent.* Quartò, ne culpam in occupationes tuas, in tuam fragilitatem, in difficultatem virtutis, conijcias, nihil enim aliud à te requiritur, nisi quod cum Diuina gratia potes præstare. Quinto, vt persuasum habeas, te necessariò

(a) *Proverb. 21.*

cessariò aut calidum, aut tepidum, aut frigidum esse; quòd si conscientia tua postremum te non adscribit, eadem quoque non patitur vt te primis & perfectis accenseas; quid superest igitur, nisi periculosum illud medium quod nec debitam bonitatem habet, nec suam malitiam agnoscit?

Ne pures tepiditatē in eo dumtaxat consistere, quòd quis animi euagationes & languorem in pijs exercitijs suis patitur, portio ista mali est, (a) non totum malum; in corde istud residet, diuiso, & in duas partes sectarum quarum alteram Deo concedis, alteram creaturis, aut tuo ipsius amori. Atque istud propriè tepidum constituit, creatque horribilem illam Deo nauseam vt à vomitu & reiectione continere se non queat; vult enim, aut te filium totum, aut te totum tibi.

Hoc igitur sit propositum tuum, quando quidē nunc agnoscas periculum à misericordissimo illo statu languentis animi, doleasque te pro eo vixisse hactenus, ac desideres ex eo tantum emergere, vt te integrè pleneque tradas Diuinae maiestati; vt velis per gratiam, te ipsum adoriri; vt cogas te rationi acquiescere; vt expedias pessimo ductu affectuum & propensionum tuarum naturalium, (b) vt Spiritum S. ducem habeas, qui te docebit nihil ambulare aut appetere, nisi ad normam diuinam

(a) *Diuisum est cor eorum, nunc interibunt.* Osce 12.

(b) *v. Hebr. 12.*

voluntatis, & nullo modo ad leges immoderatorum tuorum affectuum; suis enim affectibus non amplius obsequi, est tepiditatem excussisse, cum soli affectus inordinati nos à Deo seungant, causæque sint, & teporis nostri, & malorum omnium inde promanantium.

Anime mi, præclare te locutum arbitraberis, quando dixeris Deo, te totum te illi consignare, (a) verum discite hodie, dum te illi consignas, addendum esse itidem nolle te amplius viueretuis commodis, neque ex cupiditatum tuarum impulsu: serio enim donare se Deo, est, se inde non abstrahere. Illius omnes sumus, etiam tacentes, sed ab illo abstrahimus nos, dum appetitui obsequimur, itaque donare se illi est, huic non amplius obsequi.

(a) *Si reuerteris Israel, ad me conuertere, si abstuleris offendicula tua à facie mea. Ier. 4.*

COMPENDIUM MEDITATIONIS in sextam veritatem.

I. PUNCTUM.

Declaratio eiusdem.

Ipsè Christus est, ipsa veritas, quæ in hac sexta veritate loquitur, vt de ea dubitari non possit: sed hoc inquirendum tibi est: quomodo hæc veritas cæteris succedat, quomodo

do quis frigidus aut tepidus esse possit in Divino servitio, & qua ratione malit Deus frigidus, quàm tepidos.

Primo igitur, quia credere posses, te non esse ex pessimis collatione cum alijs facta, qui licentiùs vivere tibi videntur, adeoque nec expositum ijs periculis, in quæ te peccata tua & propensiones naturales præcipitant, ut tibi præcedentes veritates patefecerunt: additur hæc, ut falsa illa persuasione eximaris, quâ putas te pessimis non adnumerandum, asseveranterque pronuntiatur, tepidum, id est minus sceleratum, qualem te existimas, in maiore versari salutis suæ periculo, quàm frigidum, aut hominem scelestiorem, magisque infamem: An non aptè, ad errorem ex animo tuo detergendum?

Considera 2. Esse tepidum in servitio divino, est, non esse deditum manifestis illis criminibus iurandi, sacrilegis dictis violandi numen, fovendi odia, & pravas machinationes; verbo, est non vivere eâ morum licentiâ quæ religionem extinguat; quæ suffocet conscientia, id enim propriè ad frigidus pertineret: at tepidum esse, est, tangi aliquo divini timoris & amoris sensu; est frequentare sacramenta, imò meditari, & subinde sacris exercitationibus vacare; est, positis illis omnibus indulgere suis affectibus naturalibus & è propensione sua vivere, donec de committendo peccato manifestè mortifero agitur; vena-

lia

lia insuper habere; virtutes verò tu exercere, cum fieri sine molestia potest : quod ad inspirationes & divina consilia attinet, pro libitu acceptantur aut negliguntur ; denique ex arbitrato formatur devotio , mixtura fit ex Evangelio & mundo , illius aliquid omittitur, ut plus huius interatur ; nec calidus quis est, nec frigidus, nec bonus, nec malus , nec virtuosus, nec vitiosus, sed de utroque aliquid participat; id demum est , Tepidum esse , sic vivere: & si futura spectes, est vivere in maiori periculo, quàm esse frigidum : Cum enim utrique incumbat necessitas sese recipiendi ad frugem meliorem , facient id frigidi promptius, quàm tepidi; Publicanus citius , quàm Phariseus, citius Peccatrix , Samaritana , & Cananæa , quàm illæ filia Ierusalem , quæ Christo patienti ex commiseratione illacrymaræ sunt : nam illæ periculum frigoris sui facilius advertent, quàm hæ sui teporis ; illæ minùs divinis gratiis abusæ sunt , quàm hæ tepidæ personæ , quæ maiora gargarum dona ut libitum est vel admittunt, vel reiiciunt, ô quàm horrendum est , promptam habere gratiam & media Deo perfectè serviendi , & illi non servire, nisi imperfectè, aut se illis, qui Deo non serviunt, præferre.

II. PVN-

II. PUNCTVM.

Aduersio ad praterita & presentia.

ET si ægrè posset intelligi, quo pacto grauius periculum sit Tepidorum, quam Frigidorum, quia tamen id veritas testatur, credis; sed credisne illã in te intorqueri? nõne times, ne sis ex eorum Tepidorum numero? quid hactenus existimasti? quid censes modo quo in statu te reperis? An non tu es, qui nec cogitationem quidem admittere velle atrocium illorum criminum, à quibus alij redduntur infames, sed an non idem etiam tu, qui nec cogitare quidem vis, quo modo ad eam perfectionem contendas, quæ & statui tuo propria est, & ad quã gratia quotidie te vocat? ecquid igitur cogitas, nisi hæere in periculoso illo statu tepiditatis, qui inter frigus & feruorem medius est? nam sicut non es in frigore & graviori flagitio, ita nec existis in feruore & summa perfectione, in quo iuxta conditionem tuam, & gratias eo nomine tibi concessas, esse te deceret; quare nihil superest aliud, nisi vt in tepore sis, qui nec frigidus es nec calidus, sed inter vtrumque; aut si in presentia nondum sis, verseris in maximo huc labendi periculo, nisi fias ferventior, & metuas

à fer.

à fe
suo

Eculu
pro
nar
illi
crea
tan
à te
totu
eum
hoc
tus
vel
illi
rat.
serv
affec
sic
nisi
tem
dign

à feruore tuo desciscere : hic sacer metus in
suo fervore sanctiores conservat & tutatur.

III. P V N C T V M.

Propositum in futurum.

ET, vt eo te liberet errore, quo putas te
pessimum non esse: Est vt agnoscas peri-
culum status tui, & istud periculum non
provenire aliunde, quàm ab affectibus tuis
naturalibus quos frænare non niteris; nam
illi diuidunt cor tuum, & in Creatorem &
creaturas partiuntur, quod aded displicet
tantæ Maieitati vt malit omninò non amari
à te, quàm partim amari; ideoque te prorsus
totumque sic permittet tuis affectibus, vt
eum amplius amaturus non sis, nec tamen
hoc credes: Quare statuendum est, vt vel to-
tus sis Dei aut totus tuarum cupiditatum; vt
vel vni Domini seruias, vel nulli; tales enim
illi duo Domini sunt, vt alter alterum non fe-
rat. Neque proderit si dicas Deo, te illius esse
seruum, illum Dominum, nisi tuos quoque
affectus illi subijcias: tali enim pacto illius es,
sic seruis illi, sic ille Dominus tuus est: aliàs,
nisi hoc feceris, ab illo te emancipas, seruitu-
tem excutis, & ille Dominus tuus esse de-
dignatur.

E

CON-

CONSIDERATIO SECUNDA
in secundum diem.

*De distributione diei & actionum
quibus ratione status tui incum-
bendum est, & de bono usu tem-
poris.*

1. **C**ollocare te in Dei præsentia, & petere ab illo lumen, ut eius voluntatem, ac melius distribuenda tua tempora, cognoscas.
2. Vide, quanti referat, tempus suum bene collocare, ad hoc, esse viuendum ordinatè, & ut benè ordinentur actiones exteriores, componenda esse interiora, & statuendum, non aliter, quàm ex ratione, viuere.
3. Si status tibi ordinem aliquem præfixit, quomodo illum observas? an non tuarum commoditarum, quàm Communitatis maiorem ducis rationem? & in rebus communibus, quas facis, facisne eas modo quodam peculiari, spiritalique, qui solum Deum spectet, eius que beneplacitum: vel potius ritu quodam communi, defungendi utcumque muneris causà, & ob respectus humanos!
4. An non habeas aliquot diei horas, quæ

quæ sint omninò tui iuris, quæ nihilominùs inutiliter diffluant, quòd exactè non serves ordinem, quem tibi præscribere deberes.

5. Hic ordo potissimùm pender à tua conditione, & tua conditio meliùs administrari non posset, quàm hoc ordine bene constituto.

6. Exemplum cape ab ordine quem in hisce Exercitijs præfixi; nònne fortunatum te reputares, si semper viueres tam ordinatè, quàm vivis modò? vide an non posses in futurum ita diem totum distribuere; aut saltem vide quid distribuere possis, & si ampliùs non potes, id inde potiùs oriatur, quòd nequeas, quàm quòd nolis.

7. Existima te non minùs vivere debere secundùm regulas rationis, quàm Religiosus ad regulas instituti sui obligetur, & quòd hic ordo, quem tibi nunc præscribis, regulas rationis constituat.

8. Si quibusdam casibus dictaret ratio præscriptum ordinem esse invertendum, absque periculo potes obtemperare rationi, cui præscriptus ordo innititur; sed cave, ne loco rationis, audias appetitum, de quo si vel minima subit mentem dubitatio satius semper est, inhærere ordini prudenter constituto, quàm ob speciem subitò occurrentem, illum immutare.

9. Cogita, num Ratio non sit modò meliùs disposita vt iudicet, quando tibi surgendum

gendum, incumbendumve sit, quam tum cum natura suis commoditatibus immerita est, aut quando alicuius incommodi metu angitur, qui iudicandi vim inflectit, & pro ratione & regula, proprium amorem, naturæque procliuatatem obtrudit.

10. Idem forma iudicium, de pluribus alijs occurrentibus per diem casibus, in quibus natura sui suorumque commodorum studiosa semper suadebit rationem esse, tametsi reuera metus sit affectus naturæ sibi indulgentis, aut incommoda auersantis.

11. Aduerte animum ad præterita, & agnoscas, an non sit ea naturæ indoles, & ab illa te decipis passus.

12. Suspectas habe opiniones & sermones nonnullorum, qui fortè dicent: quòd se adstringere ad certum ordinem, sit Spiritui sancto resistere, qui maiorem exigit animi libertatem, & minorem adhæsiorem: vt enim huius sermo secundum quid, verus sit, de cæteris tamen periculosissimus est.

13. Verum est, si quando Spiritus sanctus nobis manifestat voluntatem suam ab ordine nostro alienam, ordinem relinquendum esse, vt eius voluntati fiat satis; & quòd propterea non oporteat nos esse sic affixos regulis, quas ipsi construximus, vt non simul semper prompti paratique eas illius consilijs posthabere: at periculosa consecutio hinc infertur, omnes ergo omittendas esse

regula

regulas & ordinem viuendi, quandoquidem Spiritus ipse S. (a) in sacris litteris etiam præcipiat, vt illas constituamus, easque sequamur, & sancti omnes non vixerint, nisi ordinatè.

14. Deliberandum non est, an sequendæ sint motiones spiritus Sancti, quando perspectæ sunt ac exploratæ, sine dubio enim sequendæ sunt: verùm hoc dubitari meritò potest, an motus omnes, quos nos sentimus, sint peculiare Spiritus sancti motiones?

15. Eam ob rem vsus Directoris perquam necessarius est, vt & diffidentia sui, & oratio.

16. Sed potissimum dispositio animi in omnem partem indifferentis, & ab omnibus rebus humanis & naturalibus auulsi; quod ad spirituales verò attinet, plurimum refert abnegatio proprii iudicij: nam hæc potiùs affectio, & hoc iudicium proprium Spiritui sancto resistit, quàm ordinis seruandi Propositum.

17. Ne putes satis esse, quod cuncta suis quæque temporibus peragas, nisi etiam peragas modo perfectissimo; sed pura, aliquam esse partem perfectionis illorum, si suis temporibus peragantur.

18. Ne tam sollicitus sis vt scias, quomodo perfectè fieri possit, quod tibi faciendum

E 3

dum

(a) *Omni negotio tempus est, & oportunitas. Eccl.*

8. *Omnia honestè, & secundùm ordinem fiant.*

1. Cor. 14.

dum est, quàm vt tam perfectè facias, quàm scis: nam fideliter explendo, quod nosti, mereberis plura discere, & cognoscere.

19. Acquiescas virium tuarum modulo, cum Deusei acquiescat, sed neque tibi parcas in ijs, quæ poteris cum gratia, & credenos, si volumus, plus posse, quàm credamus.

20. Pete à Deo veniam culparum aduersus hasce veritates admissarum, & temporis malè collocati: implora eius gratiam, ad emendationem, & firma statue emendandi proposita: ni feceris, euades culpabilior maximè cum de exteriori morum compositione agitur, quæ magis, quàm interior, à te pendet.

LECTIONES.

Ex sacris litteris Caput 1. Isaiaë & 7. Epistola ad Romanos.

Ex libello Exercitiorum, De Examine generali Conscientiæ & 4. Exercitia seu Meditationes de peccatis.

Ex Thom. de Kempis. Caput 6. & 21. l. 1. 54. l. 3.

TER.